


Gottfried Weiss

**Rector Universitatis Rostochiensis Gothofredus Weiß/ Gr. L. P.P. Facult. s. h.
Decanus ... Ad Solemnes Exequias, Matronae ... Sophiae Scharffenbergs/ Viri ...
Dn. Johannis Quistorpii, Theolog. Doctoris ... Relictae Viduae Frequentandas,
Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos humaniter invitat : [P.P. Sub Sigillo
Rectorali d. XXXI. Martii, Anno MDCXCI.]**

Rostochii: Wepplingius, [1691]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775777501>

Druck Freier  Zugang




Weiss, G.,
in
Soph. Scharffenberg,
uxor. J. Quistorp.

Rost.(1691.)

45

RECTOR
MICHAELIS
SOPHIAE
HANNIS
CUSTODI



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
GOTHOFREDUS Weis/

Gr. L. P. P. Facult. s. h. Decanus, & ad D. Nicol. Ecclesiastes,
Ad

SOLEMNE EXEQVIAS,
MATRONÆ Nobilissima, Omnibusq; sexûs sui
Virtutibus Condecoratissima,

SOPHIAE

Scharffenbergs/

VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS
QUISTORPII,

Theolog. Doctoris & P. P. Celebrissimi, Facult. Ejusdem Seni-
orioris, & Rectoris Cathedralis, & R. Ministerii Di-
rectoris gravissimi, meritissimi,

ὄν ἐν ἀρχαίς,

Relictæ Viduæ

Frequentandas,

Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos humaniter invitât.

Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.





Nstabat Festum , memoriae an-
nunciationis , praecone & interprete
Gabriele Angelo , Divae Mariae factae,
ipsiusque sic sanctissimae conceptio-
nis Christi , maximo gentis humanae
solatio abs Dei Spiritu , miraculosam
obumbratione atque *divulgata* per-
actae sacrum . Haerebam sacras inter
occupationes , illustri vaticinio Isaiano
quod habetur C. VII. 14. his verbis: *Ec-
ce virgo concipiet , & pariet filium , &*

vocabit nomen ejus IMMANUEL , intentus , utpote sequenti
proximè luce in coetu publico explanando . Tum verò affertur
mihi nuncium , beatissimè expirasse Matronam , fidei tot inter
experimenta & certamina invicto robore , & pietatis haut fu-
catae vel affectatae exercitio indefesso in exemplum muliebri
sexui , heic loci venerabilem maximèque conspicuam , Viduam
Quistorpianam . Gratulabar ego piè defunctae relictum tot aru-
mnarum laborumque durum vitae hujus ergastulum , expeditum
que vinculis corporeis impendiò molestis spiritum , nunc Im-
manuelis sui Angelorumque glorioso confortio ex voto poti-
tum ; mihiq; similem precabar *evjvacian* , de animae hujus
uti placidissimam ita beatissimam migratione planè certus . Subi-
bant tamen etiam simul hae cogitationes animum , nempe ,
argumentum memorati vaticinii Prophetici commodè mini-
strare ansam , in laudes certè non vanas , sed jure suo , nemine
ut spero dissentiente vel invidente , pietati Beatæ nostrae de-
bitas , consueto decentique modo paululum excurrendi , jux-
ta ac relictis in mœrore satis acerbo , Matrem puta , amore
ac affectu verè materno , precibus assiduis nec inanibus , sola-
minibus fortissimis , consiliis & pro salute ac incremento fa-
miliae incessantibus curis praesentissimam , nunc eheu ! de-
sideratissimam è medio sublatam plangentibus , solatio quodam
occurrendi . Sanè , id sibi gloriae ducunt fideles quàm maximè ,
quòd in Immanuele suo , de DEO propitio & gratiosè intime-
que praesenti , ex qua communione summam animi tranquil-
litatem

litatem, æternæq; felicitatis percipiunt primitias, & de afflictionibus etiam cum Paulo gloriari possint. Idque potissimum immortalis illi honori vertit, quando constantiâ, omnibus sathanæ mundique occultis machinis, apertisque insultibus insuperabili in Illius amplexibus pertinaciter hærent, cælum terram, supera infera, futura præsentia, omniaque ac singula creaturarum blandimenta & retinacula juxta habentes. Neque solatio potentiori erigi posse puto, quibuscunque malis ac doloribus graviter licet affectos, ut æquâ mente ferant, quamcunque tandem sortem, licet asperrimam, moderatrix Providentia divina exire fecerit: quàm si non ab irate, sed benignissimè affecto, paternæque benevolentia optimè nobis cupiente, idque Immanuelis intercessoris æterni virtute, evenire putent quæcunque eveniunt. Et omnino eò majori cum animi confidentia Huic adhæremus, eòque placidiori mente dura quævis toleramus: quo certiori documento Eundem spei nostræ sacram anchoram, dolorumque suavissimum levamen esse, divinis tabulis & imprimis his quarum memini Prophetis expresso roboramur. Dura quævis jam perpeffum erat Regnum Juda, cujus solamini hæc destinabatur promissio, potentissimis juxta ac infensissimis Regibus binis Syrorum Israëlitarumque hostiliter illud invadentibus, singulisque prævalentibus, editâ strage immani, multisque hominum millibus in servitutem actis. At geminabatur deinde potentia, collatis utrinque viribus & copiis, accensisque novo furore animis petebatur Hierosolyma, unicum præsidium Regni que firmamentum. Quod periculum imminens eò erat gravius, quò flagitiosius imparati cum à milite, tum aliis, belli tantam vim sustinendi & feliciter amolendi nervis, Rex Judææ gentis esset, Ipse adhæc tantâ formidine circumfusus, horroreque percussus, ut fluctuaret, quin implacide concuteretur in omnem partem animus ejus, ceu rapido vento arborum summitates solent. Rata autem habebat piorum suspiria Deus, qui *πρωλαθρίαν*, quam quidem meditabantur hostes truculenti, hæc vice fieri pœnali statuto nondum decreverat. In spem ergo meliorem erigendus erat cum Rege suo labascens, omnemq; desperans salutem populus.

Sed quò fulcimento? Immanuel promittit Dominus. Ecce! virgo pariet, inquit, Filium, & vocabit nomen Ejus Immanuel. Quod ipsum tam certum liberationis expectatæ argumentum Propheta judicat, ut quasi partâ jam ab hostibus in fugam versis victoriâ, trophæisque erectis, insultet iisdem, frustratisque consiliis illudat. Agitate, inquit, consilia, & in cassum ibunt; sociate capita, miscete sermones, & frustra erunt omnia, hîc enim est Immanuel. Miramur haut immerito obduratas Judæorum mentes, spissamque adeo caliginem, cui justo DEI judicio immerfi ad solem veritatis meridianum affectatâ ignorantia cœcutiunt. Ita enim inter plures alios R. Isaacus Ben Abraham in *Chiffak Amunah* part. II. c. II. p. 393. allegante in concione quâdam funeb. Carpzovio, cujus verba latinitate donata sic habent: *Christiani provocant in Evangelio & aliis libris suis ad locum Jes. VII. Ideo dabit vobis dominus signum: ecce Alma concipiet & pariet filium: quæ verba Regem Juda Achasum de signo certiore reddunt, ne sibi metueret à duobus Regibus, qui Jerusalem oppugnatam venerant. At ipsi hinc argumentum petunt, ut probent, Jesum ex virgine natum esse. Quod si locus ille, cum eorum sulca habet opinio, de Jesu ageret, quale signum futurum erat Achaso, res, quæ quingentis amplius annis post obitum illius accidere debebat? & quomodo cor Achasi confirmari potuit ostentio, ejus etate minimè eventuro. Quasi verò signum omne necessariò antecedit illud cujus signum est, & non potius sæpenumero sequatur rem designatam. Paulus Apostolus, obortâ tempestate, decumanis fluctibus omnium eadem navî vectorum interitum præsentissimum minante, certior ab Angelo redditur, se coram Cæsare Romæ sistendum esse, Act. XXVII, 24. Annon hoc ipsum certissimo indicio esse poterat, Paulum naufragio non periturum? Ita hoc loco similiter aliquid indubitato eventurum promittit Jehova, idque totius naturæ vires longissimè exsuperans, ut inde omnipotentia divina evidentissimum argumentum caperent, neque depulsionem hostium, Ejus excedere virtutem putarent, cui impossibile nil quicquam est. Ergo obstruunt miselli homines sibi met ipsis hoc pacto solatii veri vivos fontes, cumque DEum eâ ratione, secum non habeant*

beant, incredulitate suâ miserrimè contabescunt. O igitur nos felices, qui plenâ cordis fiduciâ hostibus in primis spiritualibus occlamare possumus *יהוה עםנו* ! Deus nobiscum, quod modò rectissimè explicatur nomen Immanuel. DEus homo factus, non solum incomparabilem naturæ nostræ splendorem addidit, sed arctiori etiam foedere nobis conjunctus, amorem erga nos summum irrefragabili hoc documento testatus est, inque omnibus necessitatibus paratissimi auxilii spem fecit. *Qui ex genere Israel factus Emanuel, nobiscum DEus, conciliavit nos cum DEo, hominum & DEi homo mediator, Verbum apud DEum, caro apud nos, verbum caro inter DEum & nos,* inquit Augustinus Lib. VIII. de Genesi ad literam, C. XIV. Beati ergo omnino & ter quaterque beati illi, qui oblatum hoc spei fulcrum fide promptâ amplectuntur, huic unicè innituntur, vitam mortemque juxta æstimantes, & ex tali fidei robore, talia, tamque pia vota quibus auream Homiliam suam de nomine Immanuel claudit Dannhauer, part. I. Serm. Sacr. P. 196. incessanter fundunt:

Immanuel Homo DEus,
 Nomen negare non potes
 Nomen sive ac aureum.
 Lapsa decus profapia,
 Patrone, vindex inclute.
 Nos Teque nostra dividunt,
 Heu quanta, & heu qua crimina!
 Nomen negare non potes,
 Immanuel, Immanuel,
 Divisa junge, separa
 Conjuncta, presens porrige
 Orbi ruenti dexteram.
 Sis noster ô Immanuel
 Immanuel, in omnibus
 Malis, quibus jactamur bis
 Immanuel in mortibus,
 Immanuel, in ultimo,
 Dieque decretorio:

In seculorum secula

Immanuel, spes nostra, quod

Nomen negare non queas,

Immanuel nostrum decus.

Et his expressisse me ultima Beatæ nostræ suspiria non dubito: talibus enim redundabat animus Eius, & os affluebat. Quem per omnem vitam, medios inter tentationum fluctus, & afflictionum non unius generis tempestates constanter tenuerat; Cujus deprædicationi, mirabilisque bonitatis toties summis in angustis perceptæ celebrationi, linguam adveverat: Illum per morbi diuturni & paulatim ingravescentis tempora, mortis tandem adpropinquante exoptatissimo articulo tenacissimè servasse, & ad extremum usque spiritum in auxilium vocasse quis dubitaverit? Noverat sanè in quem crederet, Eundemque depositum ejus in illum diem custoditurum esse certissimè cum Paulo peritulum habebat. Et quò majori fidei luctà interveniente, ad incimam Emanuelis sui & sic practicam agnitionem, mysticamque conjunctionem, exquisitissimis omnibus Mundi delitiis (svaviorem se penetraverat, eò tranquillus æternæ beatitudinis prægustū inter vitæ hujus miseras fruebatur, eoque firmiter secum statuerat, imploratā indefinenter Sp. Sancti gratiā, indissolubili nexu adhærere nec dimittere adeo suavem animæ Amicum velle. Tenuit ergo, & retinuit quem tenere constanter tantā industria studuit. Et hoc quidem sufficere posse laudæ ejus existimo, quæ, constantiā fidei suæ, aliis exemplum præbuit, sibi met ipsi æterna gloriæ augmenta & ornamenta peperit. Restant tamen alia adhuc in laudem, Matronæ huic debitam, ipsius veritatis & omnium bonorum haut sanè emendicato suffragio alleganda. Qui enim tanta fides, operibus DEo placentibus nuda existere potuisset? Jure meritoque hic applico dictum quo Boas ille utitur: *Universa populi mei urbs novit, quod virtute præstans feminasis.* Provoco ad omnes cujuscunque sexus & ætatis, quibus Beatæ nostræ vita moresque fuerunt perspecti (quem verò facile latere poterunt?) Annon verbi divini amore, humilitate cordis & gestuum, vitæ modestiā, linguæ temperantiā & erga afflictos linguari suavitate, misericordiā erga pauperes nunquam fatigatā

MAN

mansuetudine erga lædentes, si modo quem experiri adversantem taliter subducta, atque ipsi erat, vivendi ratio potuit, animo tandem erga omnes benevolo itaque affecto, ut si non opere, voto tamen ac precibus ardentissimis, omnium curare salutem nunquam intermitteret, in exemplum præibat aliis! Neminem huic testimonio, nisi invidum & cui exosa ipsa pietas est, vel nutu adversaturum esse scio. Singularem tamen adhuc commendationem meretur, quod pietatis quæ intimis animæ fibris radicata altiùs Ei hærebat, exteriorem fucum, cane pejus & angue fugerit. Invidiosum genus hominum est, & feminei potissimum sexus, qui vultu ac gestibus ad sanctimoniam haut vulgaris speciem datâ operâ compositis, affectatâ voce ad singularis pietatis ductum variè inflexâ, nil nisi ærumnas, vitæ tædia, & aliorum depravatos mores plangunt, suamq; solam Deo placentem vitæ rationem, hypocritico spiritu evchunt, suspiriis alto pectore ductis, flebiles linguæ modos haut raro frangentibus. Invisum erat gentilibus olim istud Philosophorum genus, qui tristi tetricoq; vultu, palliati & criniti, barbâ prope ad pubem usq; porrectâ, inanes verborum umbras (uti loquitur Gellius) fingeant, & nihil habere, nullius tñ. egere, ac nil cupere se dicebant, cum tamen & habendo, & egendo & cupiendo arderent. Cujus fursuris homuncionem Herodes Atticus ita aliquando allocutus fertur: barbam video & pallium, Philosophum nondum video. Næ! id apprime his nostris, Pharisaico fastu inflatis, speciem tamen pietatis mentientibus convenit. Abs talibus ceu dealbatis sepulchris, juxta dictum Servatoris, alienissimam veræ pietatis rationem esse Beata nostra putabat, utpote, quæ non in linguâ sed affectu, non in vultu sed in corde residet, non in gestibus sed operibus conspicitur. Colloquia pia miscere, divinisque oraculis etiam uti opportunè noverat, & quantum spiritus fervorem, precumque ac consolationum vim apud graviter decumbentes, ærumnisque aliis pressos, quos visitare & erigere summa illi voluptas erat demonstrare potuerit, liquidem experta loquebatur, id quidem verbis meis haut eget testibus; sciebat tamen honestis etiam sermonibus aliis justo tempore grata esse, liberioremque ostendere frontem, & ita jucundâ ubique conversatione placere

placere bonis. Quantopere etiam vestitus curam immodicam, deploratis hisce temporibus muliebri sexui tenaciter adeo sedentem, luxumque quotidie accrescentem, non solum per tempora status vidui, sed & jam ante eadem sit abominata, exemplo suo facem aliis præferens, ad laudem ejus immortalem reticere non possumus. Vah! quoties in suspiria, lacrymas & querulas voces commovebatur, profligatam pietatem, decoramque gravitatem deplorans; quando quidem desultoriâ levitate in horas fere mutabili luxuriantium feminarum spectabat amictum, alienoq; inter alia capillamento, ad modos varios cum die pariter transformandos intorto & calamistrato cincinnatas, & o mores! turritis etiam capitibus, ad cubiti mensuram terrificâ specie surgentibus ferocientes cernebat. Verissimè è contrario Beata nostra, moribus suis gestibusque exprimebat, quod de cultu feminarum Tertullianus ait: *Proditè jam medicamentis ornamentis extructa Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundiâ & Spiritus tacitate, inferentes in aures sermonem DEI, annexentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subjicite & satis ornata eritis: manus lanis occupate, pedes domisfigite, & plus quàm in auro placebitis. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitia: taliter pigmentata DEUM habebitis amatorem.* In quem sensum magnificè divus Petrus Apostolus Ep. I. c. 3. quem imitatus videtur Tertullianus, *Earum, inquit, ornatus non sit externus, qui situs est in plicaturâ capillorum, & adductione auri, aut in palliorum amictu: verum occultus, qui est in corde homo, si careat omni corruptelâ, ita ut spiritus placidus sit & quietus, qui in DEI oculis magna res est. Nam ad eum modum olim & sancta illa mulieres sperantes in DEO comebant sese, & subdita erant suis viris. Quâ ratione beatè defuncta, ut fusiori explanatione reliquarum, quæ in eadem emicuerè virtutum supersedeam, Deo, sanctis Angelis, omnibusq; bonis placuit. Et qui aliter posset, tantis scilicet fidei, sanctimonixque juxta vestigia Emanuelis sui institutæ documentis illustri. Restat verò nunc, Parentes & Majores Ejusdem, quibus vitam post DEUM debebat, & à quibus pietatis simul atque virtutem rudimenta prima, vitæque ad majorum*

majorum exempla honestè ac laudabiliter agenda incitamenta accepit. Edita igitur in hanc lucem est Anno O. R. MDCXXX. d. 9. mensis Aug. Patrem nacta Virum Nobilissimum, Consultissimum Amplissimumque Dn. NICOLAUM Scharffenberg / J.U.D. & Consulem Urbis hujus tot meritis celebrem, posteritatiq; commendabilem, itemque CHRISTIANI IV. Regis Daniæ potentissimi Consiliarium; Matrem vero, feminam cultissimam ANNAM Saulen. Avum paternum agnovit, Virum Consularis itidem heic loci dignitatis, Dn. BERNHARDUM Scharffenberg / de Republicâ hâc pariter meritiissimum; Aviam paternam AGNETHAM Weselins. Avus maternus ei extitit Vir Amplissimus ac spectatissimus Dn. BALTHASAR Saul / Patricius eo tempore Urbis hujus fulgidissimus; Avia materna ANNA Groten / ex celebri familiâ der Groten / oriunda. Abavus Paternus fuit vir prudentissimus Dn. BERNHARDUS Scharffenberg / Consul Neo-Brandenburg. hujus Provinciæ, primarius; Abavia paterna, ANNA Hillen. Abavum maternum habuit, Virum Consultissimum Dn. BALTHASAREM Saul / Consulem Rostochii gravissimum; Abaviam maternam, ANNAM Kirchhoffs. His sata Majoribus atq; Parentibus Beata nostra est, primam horum curam salutarem eo ipso experta, quod statim atq; nata, & sordibus corporis, interioris impuritatis, animæ medullitûs inhzrentis indicibus purgata, ad fontem mysticum Sacro-Sancti Baptismi adduceretur, ut regenerationis dono potita, stipulanti DEO fidem sanctè adstringeret. Tenerimè exinde habita, Matre inprimis magnâ solitudine fomenta curante, quippe quæ ex hâc Filia solatium & adjumentum in senectute certissimum sibi spondebat, si modo concepto huic gaudio diu supervixisset. Etenim præcoci morte laudatissima femina occubuit, hancque filiam dilectissimam matre orbam in puellaribus annis reliquit. Nihil tamen intermisit Dominus Parens, quin deditâ potius operâ curavit ea quæ ad educationem honestam, virtutumque sexum muliebrem condecorantium, quarum semina & igniculos à matre beatè functâ acceperat, ulteriorem culturam pertinere putabat. Proinde in Cœnobium Virginale Ribbnizense Anno 1640. eandem mittere consultum duxit, ut pietatis & virtutum majora incrementa caperet. Unde elapso biennio,

A. ni.

A. nimirum 1642. ad domum patriam reversa, & hic ad annum usque 1648. commorata est, quò feliciter contigit, ut connubio jungeretur Viro maximè Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo, Dn. JOHANNI QVISTORPJO. Theol. Doct. & P. P. Facultatisque ejusdem postea Seniori celeberrimo, Pastori itidem ad Ædem Jacobi, & Ministerii Reverendi Directori meritissimo, cujus Viri de Ecclesia Christi, & hâc cum primis Rostochiensis egregiè meriti, doctrinam, pietatem, & in amplificanda gloriâ divinâ, restituendoque collapsò ferè pro dolor! Christianismo zelum ac fervorem singularem, tot egregia scripta, piaque publici juris facta desideria, post fata ejusdem latis superque comprobant. Quanto autem in amore, unanimitate & tranquillitate hi conjuges, nunquam reconciliati, vixerint, dici vix potest, unde nec infœcundam domum hanc reliquit Deus, adeo quidem, ut decem liberorum mater beata nostra extiterit, ordine enixa, JOHANNEM NICOLAUM, THOMAM, STEPHANUM, SOPHIAM, BERNHARDUM BALTHASAREM, BARBARAM, ANNAM MARIAM, CATHARINAM, JOHANNEM, THEODORUM. Quorum quatuor dulcissimæ matri superfunt, reliquis piè jam denatis; & ex Filiis quidem primogenitus, Vir perquam Reverendus Amplissimusque Dn. JOHANNES NICOLAUS QVISTORPIUS, S. S. Theol. Doctor famigeratissimus, & ad Ædem D. Nicolai apud nos Pastor meritissimus, Dominus Collega meus, Compater atque Affinis conjunctissimus, qui Sociam tori elegit sibi Feminam virtutibus sexui suo convenientibus nulli secundam, MARGARETHAM ELISABETHAM *Wersowen*. Ex quo toro Beata nostra singulari cum gaudio Octo charissimorum pignorum Avia facta: quippe vidit SOPHIAM CATHARINAM, JOHANNEM DANIELEM, CATHARINAM SOPHIAM, BARBARAM MARGARETHAM, JOHANNEM NICOLAUM, DANIELEM, GEORGIUM DANIELEM, & LAURENTIUM GOTHOFREDUM, quorum quatuor Aviam dilectissimam jam præiverunt, reliquis superstibus. Præter hunc nominatû cum familiâ suâ primogenitum, in vivis adhuc sunt, Viri Juvenes politissimi BERNHARDUS BALTHASAR, Pharmaceuticæ artis peritissimus, qui variis regionibus exteris per decursum aliquot annorum visis, anno superiori hûc advenit, debitâ pietate, promptoque

obse-

obsequio Matrem coluit, duranteque morbo, quæ potuit levamina fideliter adhibuit; & Tertius, natu minimus THEODORUS, L. L. Studiosus, Hassniæ hætenus degens, Virique Nob. lissimi Dn. NICOLAI Jantzen Arst, Societatis in India Orientali negotiantium Directoris favore haut parum adjutus, porroque juvenis, qui paucis ante horis, quam mater dilectissima spiritum Deo redderet, vento secundo, brevi temporis spatio commodum hic appulit, ut ita hoc ipso quoque, Deo annuente, complerentur vota, Filium hunc ingeminantis, tenerrimæque affectu complexæ Matris. Ex Filiabus verò per Dei gratiam vitâ adhuc fruitur Femina Ornatissima SOPHIA, Viro Pl. Reverendo atque Clarissimo Dn. M. JOHANNI MAURITIO POLTZIO, ad D. Johannis, & S. Spiritus Pastori meritissimo, ut & Rev. Ministerii quoque officii annos Seniori, Collegæ & Adfinitidem nostro æstumatissimo, connubio junctâ A. 1687. m. Septembri. Ex quo pariter Conjugio filiis duos, JOHANNEM MAURICIUM & HENRICUM CHRISTOPHORUM nepotes vidit, quos singulari quoque affectu prosecuta, natuque majorem præprimis, blando quodam illicio facile cujuslibet benevolentiam & amorem impetrantem, quem etiam ante duos menses lethaliter decumbentem, licet cum maximo tuo, ex debilitate jam tum malè affecti corporis, incommodo, manibus stipantium suffulta invisit adhuc, supremumque vale dicentem, his verbis reliquit: Ego prima omnium te mox sequar. Altera Filia CATHARINA, politissima itidem Femina, nupserat Viro pl. Reverendo Doctissimoque Domino CHRISTOPHORO Klayroden/Pastori Kessinensium in vicinia optimè merito, Affinitatis vinculo pariter nobis juncto A. 1686. d. 5. Maji. Ex quâ neptem geminam Avia amplexa est, SOPHIAM non diu superstitem, & CATHARINAM DOROTHEAM, quæ aliquot ante mortem Beatæ nostræ diebus ad eam adducta, cum singulari animi lætitiâ excepta & cum benedictione dimissa est, matre non ita pridem, edito partu in utero extincto, fatis concedente, & nunc Avia quoque delictissimâ orba facta. Ex hac progenie suâ haut parum solatii beatè defuncta cepit, quoad vixit, durante per 22. annorum spatium acerbo viduitatis statu, quo temporis toto tractu dura multa pertulit, cum morbis variis generis, aliisque afflictionibus conflictata.

Omnium


Omnia tamen æquo animo ferre didicit, finem tandem laborum atque ærumnarum ab Emanuele suo sperans, tranquillasque cœli sedes omnibus votis anhelans. Ad quas delata etiam est, placidissimâ morte decedens, inter preces assiduas dilectissimi Filii, Domini Doct. QVISTORPII, & Generi Dn. M. POLZII, & hæc potissimum verba: Herr ich glâube hilff mir schwachen &c. Bis ich frölich werde schauen / dich DEUS Jesu nach dem Streic in der süßen Ewigkeit / d. sc. 23. Martii hora 6. vespertinâ. Sic omnino beatissima anima, consortio Immanuelis sui nunc fruitur, & post fidem, ad aspectum, & viâ in patriam deducta est. Nolite, qui discessum Ejus haud immeritò stetis, invidere eidem summum felicitatis quem jam attigit apicem. Confidite in Immanuele vestro, sic vobiscum DEUS, & cum semine vestro erit, quod ultima Matris vestræ dilectissimæ vota volebant, prout cum Patribus vestris Ipse fuit, à quo ceu omnis solatii fonte solatiû, & felicissima quævis universæ Familiæ vestræ animatus apprecor. Quiescat interim corpus in pace, mollemq; terram sentiat, dum restituatur animæ ad cœlestis gaudii omniumque bonorum fidelibus preparatorum largissimam messem. Quod reliquum est, vos Omnes omnium Ordinum Cives Academicos eâ quâ decet humanitate invito, ut frequenti numero eatis exsequias. Date hoc beatissimè functæ, date QVISTORPIANO nomini & meritis in Academiam hanc præclarissimis, date Familiæ in luctu positæ, & voluntatem promptam demerendi hęc ipsò offerenti.

*P. P. Sub Sigillo Rectorali d. XXXI. Martii,
Anno MDCXCI.*

*Conventus fiet in Æde Jacobæ,
Horâ I.*

•(o)•

Monimentum






beant, incredulitate suâ miserrimè contabescunt
 felices, qui plenâ cordis fiducia hostibus inpro-
 occlamare possumus *μεσθ' ημων ο θεος !* De
 modò rectissimè explicatur nomen Immanu-
 factus, non solum incomparabilem natura
 rem addidit, sed arctiori etiam fœdere nobis
 rem erga nos summum irrefragabili hoc de-
 est, inque omnibus necessitatibus paratissimè
*Qui ex genere Israel factus Emmanuel, nobiscum
 nos cum DEO, hominum & DEI homo mediator
 um, caro apud nos, verbum caro inter DEum &
 stius Lib.VIII. de Genesi ad literam, C. XI
 no & ter quaterque beati illi, qui oblatum hoc
 promptâ amplectuntur, huic unicè innitu-
 temque juxta æstimantes, & ex tali fidei ro-
 pia vota quibus auream Homiliam suam de
 claudit Dannhauer, part. I. Serm. Sacr. P. 196. i.*

*Immanuel Homo DEus,
 Nomen negare non potes
 Nomen sive ac aureum.
 Lapsa decus profapia,
 Patrone, vindex inclute.
 Nos Teque nostra dividunt,
 Heu quanta, & heu qua crivine
 Nomen negare non potes,
 Immanuel, Immanuel,
 Divisa junge, separa
 Conjuncta, presens porrige
 Orbi ruenti dexteram.
 Sis noster ô Immanuel
 Immanuel, in omnibus
 Malis, quibus jactamur hic
 Immanuel in mortibus,
 Immanuel, in ultimo,
 Dicque decretorio:*

A 3



the scale towards document

nos
 libus
 quò
 omo
 ndo-
 mo-
 tatus
 fecit.
 liavit
 d DE.
 Augu.
 omni-
 h fide
 mora
 mque
 anuel
 adunt: